

preconiam et sonum campane, ut moris est, in ipso consilio in quo fuerunt consiliarii numero XL cum dominis uicecomite et iudicibus predictis. Predictus dominus Ladislauus vicecomes et iudices supradicti cum consensu et uoluntate dicti consilii, nemine discordante, uice et nomine comunis et hominum ciuitatis Spaleti, fecerunt, constituerunt et nominauerunt nobilem uirum ser Franciscum Damiani ciuem Spalatensem, ibidem presentem et mandatum huiusmodi sponte subsipientem ipsorum et dicti comunis et uniuersitatis predictae ciuitatis Spaleti, uerum et legitimum syndicum et procuratorem et nuncium specialem, specialiter ad eundem ad magnificum et potentem uirum dominum Nicolaum de Zecch regnorum Dalmacie et Croacie banum generalem, occasione cuiusdam contradictionis facte per dominum Dominicum filium quondam Nicole Lucari contra comunitatem Spaleti de introductione trium uillarum, scilicet, Chelch, Crisi et Gorice donatarum comunitati Spaleti per serenissimum principem dominum Loduicum dei gratia regem Hungarie, ad agendum, causandum et defendendum, libellos et petitiones dandum et recipiendum, exceptiones opponendum, litem contestandum, de calumpnia et ueritate dicendum et cuiuslibet alterius generis iuramentum in ipsorum animas prestandum et deferendum, iudices elegendum et recusandum, crimina et defectus opponendum, terminos et dilationes petendum et dari faciendum, testes, instrumenta, scripturas et priuilegia producendum, accusandum et denunciandum, accusas et denunciationes prosequendum, protestandum et protestationes quaslibet faciendum, sententias audiendum, appellandum, comictendum et perscipiendum et generaliter ad omnia et singula faciendum et dicendum que in predictis et circha predicta fuerint facienda et que dictum consilium facere posset si adesset et que merita causarum possunt et requirunt, promicentes michi notario infrascripto, stipulanti nomine et uice omnium quorum interest uel interesse posset, se firmum et ratum habere perpetuo totum et quicquid per dictum eorum syndicum et procuratorem factum fuerit in predictis uel aliquo predictorum, sub ypotheca et obligatione omnium bonorum dicti comunis presentium et futurorum, uolentes quod supradictum eorum syndicum et procuratorem ab omni onere, satisfactionis relauare fideiubendo pro eo de predictis, promiserunt michi notario infrascripto, stipulanti et recipienti ut supra, de iudicio sisti et iudicato soluendo.

Actum in palacio comunis, presentibus ser Çucio domini Bochamaioris de Ancona et Phylippo capellano ipsius domini uicecomitis testibus et aliis et Marino Laurencii examinatore.